

Reverendissime in Christo Pater, et illustrissime Cardinalis
Bellarmino.

Doleo plurimum, quod Illustrissima Amplitudo vestra de me propter catholicam fidem incarcerato, tam duram conceperit, et mihi terribilem opinionem. Hactenus per Dei gratiam, ne in minimo quidem articulo fluctuasse me memini, qui certo et definite ad sublimem maiestatem, et summam auctoritatem Sedis Apostolicae pertineret. Quod ad iuramentum spectat, fateor me illud suscepisse, sed in eo sensu qui in catholicorum scriptis probatus apparet, et nulla labe temeritatis aspersus. Sensus enim meus ter repetitus, et acceptus à magistratu, et iam etiam publice typis propagatus, hic est: Summum Pontificem non habere imperialem, et civilem potestatem ad libitum et ex suo appetitu, deponendi nostrum regem. Talem potestatem catholici theologi nunquam tribuerunt Sanctissimo Divi Petri successori, ut Illustrissimus bonae memoriae cardinalis Alanus, et alii non contemnendi scriptores in monumentis suis ad posteritatis memoriam notarunt. Neque est, cur quisquam vel minimam suspicionem habeat, illum sensum admissum esse à magistratu, deformandae causa, aut imminuendae, aut spoliandae dignitatis Apostolicae. Certe tales ex suspicionem nati conceptus sunt plerunque fallacissimi magistri, et faciunt timorem, ubi nullus est timor.

Sed ut pergam, quam institui, tenere viam: Illud etiam ad defensionem meam accedit, quod positum est ab Illustrissimo cardinale Caietano, in responsione ~~ada~~ ad Parisienses, quod utrumque vere determinari possit de Papa, et quod habet supremam potestatem in temporalibus, et quod non habet supremam potestatem in temporalibus; quoniam utrumque verum est ad sanum intellectum. Afirmatio namque est vera, in ordine ad spiritualia; negatio vero est vera directe, seu secundum seipsa temporalia. Unde nihil ex utraque decisione erroris accidit. Haec ille Illam etiam sententiam in libros suos praestantissimi catholici scriptores coniecerunt, videlicet, ad summum

/ Pontificem, cum finitae et limitatae sit capacitatis, et multoties ipsum lateat ordo et proportio rerum temporalium in finem spiritua-
lem, ideo ad ipsum nequaquam spectare, omnibus modis rerum dominari, sed solum iuxta taxatum, et praefinitum canonem, quo secundum huma-
5 num intelligentiae modum ipse Papa dispicere valet, qua via tempora-
lia spiritualibus deserviant. Atque eandem sententiam lego ab alio scriptore valde catholico hisce verbis expressam: In temporalibus Pontificis potestatem esse limitatam, et de illis posse disponere usque ad certam quandam mensuram, videlicet, quatenus finis spiri-
10 tualis exigat.

Cum ergo ad hunc modum arcta et astricta sit Pontificis autho-
ritas in temporalibus, cur nos in tam gravem reprehensionem incur-
remus, qui dicimus Summum Pontificem non habere potestatem deponen-
di regem nostrum, quia inde perturbatio ecclesiae, et eversio catho-
15 licorum nostrorum in bonis et possessionibus, et detrimenta pluri-
marum animarum provenirent? Audiatur Amplitudo vestra non me, sed de-
fensorem assertionis vestrae contra Venetos, qui sic ait: Potestas summi Pontificis limitata est, ne de rebus temporalibus disponere possit ultra exigentiam finis supernaturalis. His adiungi potest e-
20 tiam excellentissimae Amplitudinis vestrae sententia: Quantum ad personas, non potest Papa, ut Papa, ordinarie temporales principes deponere, etiam iusta de causa, eo modo quo deponit episcopos, id est, tanquam ordinarius iudex, tamen potest mutare regna, et uni au-
ferre, et alteri conferre, tanquam summus princeps spiritualis, si id
25 necessarium sit ad animarum salutem. Quae verba plane firmant nos-
tram admissionem iuramenti. Nam verba iuramenti sunt: Papam non ha-
bere auctoritatem deponendi regem, aut disponendi de regnis et domi-
niis Maiestatis suae. Et communis intellectus apud magistratum ad
nullum alium conceptum propendit, quam ad hunc, videlicet, Papam, ut
30 Papa est. Nam non potest pertingere ad illum conceptum, videlicet, ~~Papam~~ tanquam summum principem spiritualem. Et cum proponitur iu-

/ ramentum suscipiendum, illius sensus, cognitus à magistratu, restringitur ad ordinariam potestatem. Nam qui proponunt iuramentum, illi remotissimi sunt à cogitatione extraordinariae, aut indirectae potestatis in Papa residentis.

5 Neque etiam, si Amplitudinis vestrae mitissima dispositio vel minima ex parte conciperet ruinas familiarum catholicarum, quas inferret recusatio iuramenti, certe non dissentiret à nobis, qui ex luctuosissimis spectaculis videmus, inde profecturam esse non modo iacturam animarum, sed etiam totius status catholici apud nos lamentabilem extirpationem. Cum ergo perscrutiscimus auctoritatem summi Pontificis, quoad depositionem nostri regis, non esse in ordine ad spiritualia promovenda, sed evertenda; cur exagitaremur, tanquam desertores fidei, et negatores Apostolici primatus, qui nihil aliud tenemus, quam quod ubique theologi in suas conclusiones compegerunt?

15 Suarez ait, In universum omnia haec temporalia cadunt, tantum indirecte, sub potestatem spirituales, id est, in ordine ad finem spirituales. Salmeron dicit, Petri potestas est solum ad aedificationem, quod aliis verbis solet dici: Clave non errante. Et loquens de Papae potestate, ait: Si sit in destructionem, non est potestas, aut
Sandius? 20 potentia, sed impotentia et defectus. Hoc possumus, quod iure possumus. Martinus Aspilcueta loquens de ecclesiastica potestate, inquit: Ergo tantum se ad temporalia extendit, quantum ratio supernaturalium exigit, et non ultra. His societur Covarruvias: Constat huius quaestionis resolutio, ut (salva semper ecclesiae catholicae definitione) constituamus Romanum Pontificem, nec actu, nec habitu universi orbis, nec in ipsos quidem christianos temporalem iurisdictionem habere, nisi quatenus ea necessaria sit ad spiritualis iurisdictionis, et potestatis utiliore et faciliorem usum.

Possum longius innavigare in hoc doctorum torrente, liberrime
30 profluenti ad defensionem nostram de iuramento. Qui enim aequo oculo pericula nostra intueretur, facile adverteret, potestatem summi

/ Pontificis in depositione nostri regis, iam contineri non posse intra fines ordinis ad spiritualia sublevanda; sed excurrere ad supprimenda omnia, quae hactenus in spiritualibus bene posita fuerunt. Hinc patet, in quam lamentabilem conditionem detrudunt me illae paulo graviores, et acerbiores animadversiones: Quod ex sathanae dolis consentirem, ut fides catholica de primatu Sedis Apostolicae vel aperte, vel obscure petatur: Quod iuramentum in regno isto eò tendit, ut authoritas capitis Ecclesiae à successore Sancti Petri ad successorem Henrici 8. in Anglia transferatur: Quod hic periculum fidei subesse possit: Quod videor Sancti Petri et S. Marcellini casum aliqua ex parte imitatus: Quod non sit res parva, quae ob iuramentum istud in discrimen adducitur, sed unum ex praecipuis fidei nostrae capitibus, et religionis catholicae fundamentis; et quod debeam audire, quid Sanctus Gregorius Magnus affirmat, et quid Sanctus Leo confirmat, et attendere, quid Sanderus^{er} pronuntiavit: et quod pro hoc uno gravissimo dogmate Ioan. Roffensis et Tho. Morus duces ad martirium aliis extiterunt: et quod non plus sapiam, quam oportet sapere: et quod forte lapsus fuerim non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, etc.

20 Haec legi attente, et meam vicem dolui, quòd tantus acervus notationum censoriarum apud vos construitur adversum me, qui nec capio, nec sapio, quo modo vel exigua aliqua pars detrimenti possit importari primatui summi Pontificis ex sensu, quem ego (approbante magistratu) praeposueram iuramento. Sed si verba exterius non tam gratum sonum fundere videantur; non debet tamen sensus vel intellectus verbis servire, sed verba intellectui; ut patet ex libro 5. Decretalium Gregorii, de verborum significatione.

Neque suspicari possim, qua ratione aliquod periculum fidei, ex iuramenti susceptione, creari possit; cum nihil omnino implicatum habeat, quod aliquam speciem vel formam rei, quae sit fidei formaliter, adumbraret. Nam, ut Covarruvias, Martinus ab Aspilcueta, et

/ Binsfeldius affirmant, nihil certi, de Pontificis auctoritate circa temporalia, hactenus ab ecclesia definitum est. Et Illustrissimae memoriae cardinalis Alanus, in hac causa ait. Quaestio est plane theologica, et cum religione christiana arctissime cohaerens, de qua
5 etsi forsitan non definite pro parte nostra pronuntiatum sit, posse tamen et solere theologicis argumentis in utramque partem disputari, ipsi quidem adversarii, si quicquam sciunt, ignorare non possunt. Sic ille. Caeterum forte ad nos premendos Innocentius tertius, et Bonifacius octavus concurrent. Illi autem (ut ait Bannes) loquuntur de
10 potestate et dominio, in ordine ad spiritualia, cum opus fuerit illam exercere; ut patet manifeste intuitu ipsa iura. Atque haec est indirecta potestas, quae regem nostrum non attingit; quia res Anglicanae iam in eo statu positae et defixae sunt, ut omnis ordo ad spiritualia promovenda, per depositionem nostri regis, interciderit,
15 ac proinde providendum, ne duriores nobis conditionem statuatis. Et sane, non obstante Bonifacii definitione (ut liquido constat per consequentem Clementis declarationem) nihil dignitatis aut antiqui sui iuris amisit rex Francorum. Quod facere non potuit Clemens, si definitio Bonifacii, ex cathedra, tanquam res fidei formaliter emanasset.

Atque hac in re valde notatum fuit à me, quod Caietanus contra Parisienses deposuerat, viz quia aliud est determinare de fide formaliter, ~~quid credendum est; secundu~~ et aliud de eo quod est fidei materialiter. Nam primum importat determinare, quid credendum est;
25 secundum autem, determinare de quaestionibus, quae in rebus creditis accidunt: et constat cum determinatur quaestio aliqua secundo modo, non determinari dicitur de fide, sed de tali, vel tali materia. Ideo cum dicitur, quod Papa non potest errare in iudicio fidei, non accipio dictum esse, nisi de iudicio fidei formaliter, quando scilicet
30 determinatur, quid credendum, vel non credendum. Haec ille. Ex quibus ego (subiiciens me exquisitissimo iudicio vestro) colligo:

/ Si definiretur, tanquam res fidei formaliter; scil. Papa habet potestatem deponendi reges indirecte, hoc est, in ordine ad spiritualia; quod certe ex ea definitione in thesi, omnes tenerentur firmiter illud credere. Sed si quaestio proponeretur in hypothesisi: An Papa habeat potestatem deponendi nostrum regem, rebus in eo statu, quo nunc sunt permanentibus apud nos: sane videtur mihi (salvo acutiore iudicio) quod huius quaestionis determinatio esset de eo, quod est fidei materialiter; quia esset determinatio de quaestione, quae in rebus creditis accidit, et proinde non diceretur determinatio de fide, sed de tali materia. Determinatio autem de re fidei formaliter, nos ad credendum obstrictos tenet. Iam ego proiectus ad synceritatem aequissimi iudicii vestri, peto summopere ab Amplitudine vestra, ut decernat utrum aliqua in re, quae sit fidei formaliter, ego vacillaverim, aut a cursu, in quo signata sunt doctissimorum theologorum iudicia, deflexerim.

Quo modo ergo pertractus sum aliqua ex parte in consortionem lapsus D. Petri, ac D. Marcellini? aut qua de causa mentio fieret Sanderi, cuius sententiam sequutus sum in libro de Clave David, ubi ait: Gladius Ecclesiae in aedificationem datus est, non in destructionem: ad vitam conferendam, non ad inferendam mortem: ad defensionem gregis, non ad laesionem pecoris: ad arcendum lupum, non ad devorandum agnum? Et si liceat mihi progredi, in defensione mea: ego plane non video, ex qua ratione illa verba recitata, aut ex Gregorio Nazianzeno, aut ex Basilio Magno, aut ex Leone, et Gregorio Magnis, aut quomodo etiam laudabile factum Eleazari, aut nobilitata multorum scripsit martyria Tho. Mori, et Ioannis Roffensis in me intorqueri possint, cum in iuramento meo, nullum vel minimum signum extet, quod adiunctam aliquam deformitatem praeferat contra fidem, aut quod aliquam syllabam imminuat in aliqua re fidei: aut quod aliquid detrimenti adferat prohibitioni divinae; vel quod de rebus definitis circa primatum summi Pontificis aliquantulum derogaret. Sane procul ab-

/ est à nobis, ut depasci veterem possessionem Apostolicae Sedis ab aliquo ~~auto~~ homine aliquando sineremus. Peto igitur humillime ab Amplitudine vestra, ut haec tam gravia contra me, praetexta ex filiis parum aequioris coloris, discindantur, et conversa in fumum, evanesca nt. Senex sum, et in carcerem coniectus, propter fidem catholicam: et non novi me hactenus in ulla alia curricula devenisse, quam in illa, in quibus impressa sunt doctissimorum catholicorum manifestissima vestigia. Conticescant igitur, obsecro, omnes illae circumsonantes vociferationes adversum me innocentem, et Apostolicae cathedrae studiosissimum propugnatorem. Cuius rei iam sit testis incarceration mea: testes sint creberrimae conciones meae: testes sint in antegresso decursu triginta duorum annorum, periclitationes meae, pro dignitate Sedis Apostolicae: testis sit administratio archipresbyteratus, quotidianis septa periculis vitae meae.

15 Sed pro progredior? Certe paulo effusior videri possim in repetitione harum rerum coram Amplitudine vestra, quae (ut spero) iam rigidiores vestram opinionem de me, et de meo facto, ad maiorem aequitatis, et commiserationis temperationem revocabit. Sed finem faciam, et extremum habebit illa Sancti Leonis sententia: Manet Petri 20 privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium: nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.

Dominus Iesus Amplitudinem vestram conservet ad maiorem dilationem catholicae fidei, et nostram consolationem.

25 Londini è carcere 13 novemb. 1607.

Vestrae Amplitudinis

humillimus servus

Georgius Blacvellus.

30 ex opere: In Georgium Blacvellum Angliae Archipresbyterum a Clemente Papa Octavo designatum Quaestio bipartita: Cuius Actio prior Archipresbyteri iusiurandum de Fidelitate praestitum. Altera eiusdem iuramenti Assertionem, contra Cardinalis Bellarmini Literas, continet. p.38-50.